

B. N. II, 178.

h. 50, 8.

(X 1877442)

II i  
1796

I. N. J.

EXERCITATIO HISTORICA

DE

INCLUTO TEUTONICORUM SIVE MARIANORUM EQUITUM ORDINE,

Quam

PRÆSIDE

LUDOVICO LIEBHARDO,  
HISTORIARUM PROFESSORE PUBLICO, ET  
ALUMNORUM BRANDENBURGICORUM  
INSPECTORE,

*Illustri CHRISTIAN-ERNESTINO Collegio  
Valedicturus*

Ad Mart. Anno c1616LXXII.

H. L. Q. C.

*Ventilandam proponit*

JOHANN: Jobst à Carlowitz /  
Nobilis Variscus.

\*\*\*

BARUTHI

Typis IOHANNIS GEBHARDI.

V I R O

Generoso, Nobilissimo ac Strenuissimo

Dno. GEORGIO CAROLO

à CARLOWITZ,

Hæreditario in Altenschönfels/ Zaussa/ Arnsdorff/  
Ober, Staucha/ etc. Electoral: Diœceson Wolcken- & Lau-  
tersteinensis, Neuforg- & Lichtewaldensis Præfecto summo;  
non imo, sed maximo à venationibus Ducis Saxonix Magi-  
stro, Camera Domino, ut & Inspectori Lignorum aquis  
deportandorum in Sudetis Mi-  
fnix &c.

Dno. Clarissimo Benignissimoq;

PATRI SUO

Omni observantiæ cultu filialiter ætatemq; suspiciendo,  
perpetuò semper exosculando, deve-  
nerando,

Has Studiorum suorum Primitias cum Precum  
indefessarum oblatione Jure me-  
ritoq;



Dat, Dicat, Consecrat

Johannes Jobstius à Carlovvitz.

I. N. J.





I. N. J. C. A.

THESIS I.



Eutonicorum Equitum Historiam à prima Origine descripturis præmittenda nonnulla sunt, de constituti hujus Ordinis Occasione, & funesto temporum statu, quibus coalescere hæc Societas primùm coepit.

Originis  
Occasio.

Cùm *Balduinus* IV. Septimus in ordine post recuperatam à Christianis Hierosolymam Rex Hierosolymitanus, eò quòd leprâ infectus liberos non relinqueret, *Balduinum* V. adhuc quinq; annorum puerum, è sorore *Sybilla*, quæ *Guilhelmo* juniori, Montisferrati Marchioni, per tres menses matrimoniò junctâ fuerat, natum, *Guidonis* Lusignani privignum, curæ *Raimundi*, Comitis Tripolitani commendatum, comuni Ordinum voluntate & consensu, hæredem Regni moriturus instituisset, gravissimæ *Raimundum* inter & *Guidonem* ortæ sunt diffensiones. Ægre namque ferebat *Guido*, quod non tantùm à successione Regni, nefandis *Raimundi* artibus, ipse esset exclusus; sed etiam, quòd *Raimundus* omnem Regni administrationem, ac Regis pueri *Balduini* tutelam sibi integram vindicaret. Cùm autem, præterfluxò septem mensium spatiò, *Balduinus* V. à matre *Sybilla*, ut vulgò ferebatur, lentò venenò cupiditate Regni esset sublatus, non priùs filii obitum mater aperuit, quàm ab *Heraclio* Patriarcha, Episcopis, Proceribusque, suum

A 2

Gui-



*Guidonem* Regiō diademate insigniri, magnis muneribus redemislet. Quo facto veluti bellicum inter maritum & *Raimundum* cecinisset, & malum discordiæ misisset, ita ambo in æmulationem consurrexerunt. *Raimundus* verò, cūm omni spe Regni decidisset, omnem movere cœpit lapidem, ut ægre *Guidoni* faceret. Quade causa cum *Saladino* Saraceno, Ægypti Rege potentissimo, qui aliquot annos antè dominum suum *Calipham* in Ægypto interemerat ac Regnum invaserat, clam amicitiam facit, qui commodâ omnium occasione, discordiâ scilicet Principum Christianorum, utendum ratus, non Palæstinam tantūm est depopulatus; sed etiam metropolim, Regni caput, *Hierosolymam* Anno 1187. VI. Non. Octobr. obsidionis die 14. Anno 89. quàm de barbaris recepta olim fuerat, cūm non superessent, qui propugnarent, Christianis ademit. Vid. *Guilhelmus*, ArchiEpiscopus Tyrius, qui rerum inter *Guidonem* & Comitem Tripolitanum gestarum spectator ipse extitit, & *Historiam belli per Occidentis Principes Christianos in terra sancta totaque Syria gesti ab ann. 1095. usque ad ann. 1180.* condidit. *Gulielmus* Neubrigensis, Sec. XIII. Scriptor celeberrimus, *lib. 2. de Regibus Anglorum*. Heroldus, *Guilhelmi Tyrii* Continuator *lib. 1. & 2. de bello Sacro*. *P. Æmilius*, superiori Sæculō Parisinus in æde Deiparæ Sacerdos, *lib. 6. de rebus gestis Francor.* citati apud Centuriatores Magdeburgenses *Cent. XII. cap. 16. p. 1924. seq.* *Otonis* de S. Blasio, ad *lib. VII. Chronici Otonis Frisingensis Episcopi*, continuatæ historiæ *Appendix cap. 30.* *Joh. Lud. Godofredi Chronicon part. VI. ad ann. 1185. & ff. p. 105. seq.*

105. seq. Conf. etiam Marci Zuerii Boxhornii *Historia Universalis Sacra & Profana* sub Ann. MXCI X. p. 651. De miseranda hac Christianorum clade & cruenta Saladini victoria, cum rumor in Occidentem esset delatus, Imperator *Friedericus* I. à barba rubra cognomento *Barosfa* nuncupatus, publica Imperii Comitia Wormatiæ indixit, de regni Hierosolymitani recuperatione consulturus. In his Comitibus *Urbanus* VIII. Pontifex Romanus, Principes & reliquos Imperii Germanici Ordines per legatos urfit, ut Christianis in Oriente à *Saladino* pressis & tantum non oppressis opem ferrent, & ad recuperandam Hierosolymam terram marique contenderent, per universum Imperium Romano-Germanicum indulgentias & relaxationem poenarum injunctarum promittens omnibus, qui arma contra Saracenos susceperint. Probatà re *Friedericus* Imperator cum nonnullis Imperii Principibus, & filio *Friederico*, Sueviæ Duce, foedus adversus Saracenos iniit, quibus *Philippus* Galliae, & *Richardus* Angliæ Reges accesserunt, qui viribus conjunctis Ann. 1189. nobilissimo validissimoque cum exercitu expeditionem in Palæstinam susceperunt. *Nicetas Choniates*, *Zonaræ* Continuator, *Lib. II. de Isaaci Angeli Imperio*. Et hæc expeditio occasionem dedit novo Ordini instituendo, quem *Teutonicum* appellavêre.

## II.

De Autore verò & primo hujus Ordinis Fundatore Origo. re non eadem Historicorum est traditio. Alii namque cum *Polydoro Vergilio Lib. VII. de Rer. Invent. c. 5. p. 504.* & *Joh. Liunnæo Tom. II. Jur. Publ. VI, 2, 57.* Au-

tozem hujus Ordinis faciunt Germanum quendam satis divitem, qui, receptâ à Christianis Hierosolymâ, unâ cum plurimis suæ gentis hominibus ibi locorum remanserit. Hic cum multos quotidie Germanos, qui linguæ ignari à nemine excipiebantur hospitio, religionis studio Hierosolymam appellere viderit, domum suam in Xenodochium convertisse, eidemque in honorem Dei ac B. virginis Mariæ, cujus à nomine postea *Fraternitas Ordinis Teutonici Hospitalariorum S. Mariæ Hierosolymitanae* dicta sit, templum addidisse dicitur. Alii cum Joh. Micrælio in *Syntagm. Histor. Eccles. Lib. III. Sect. 1. p. 247.* hoc institutum ad HENRICUM VI. Imperatorē referunt. Alii cum Centuriatoribus Magdeburgensibus *Cent. XII. cap. 6. p. 941.* Davide Chytræo in *Chron. Saxon. Lib. I. p. 13.* Joh. Wolffio, *Tom. I. Lect. Memorab. Cent. XII. p. 401.* Christophoro Lehmanno in *Chron. Spir. Lib. V. cap. 77. p. 578.* Joh. Micrælio in *Syntagm. Hist. Polit. Lib. III. Sect. VI. quest. 5. p. 831.* FRIEDERICUM, Sueviæ Ducem, Friederici Barbarossæ filium secundogenitum, Ordinis hujus Autorem constituunt. Cùm enim in obsidione Ptolomaidis longiùs protracta multi militum ex dysenteria laborarent, & non pauci ex morbo quotidie absumerentur, multi quoque hostium telis icti sine aliorum cura & commiseratione in castris vagarentur, factum esse, ut Lubecenses & Bremenses, qui instructâ classe Christianis contra Saracenos Ptolomaidem oppugnantibus auxilio venerant, miserorum clade moti, extensis in terra navium velis, tuguriola construxerint, ægrotisque militibus hinc inde collectis ad recuperandam corporis sanitatem

tatem facientia largè suppeditaverint. Horum pietate  
motum *Friedericum* Sueviæ Ducem cum ceteris Chri-  
stianorum Principibus communi consiliò de novo ali-  
quo Ordine Germanorum militum, nobili stemmate  
prognatorum instituendo cogitasse, atque ex Templa-  
riorum & Johannitarum nuper confirmatis Ordinibus  
medium quendam tertium conflasse, qui, eò quòd  
ipsi Hierosolymorum Rex domum Hospitalem, quæ  
Mariæ Sacra erat, Hierosolymis concesserit, *Ordo*  
*Teutonicus domûs Hospitalis S. Mariæ in Hierusalem,*  
postea nuncupatus sit. At verò cum omnes & singuli  
suprà citati Auctores, Ordinis hujus primordia ad Ann.  
1189. vel proximè subsequenter referant, non potest  
non placere nobis sententia eorum, qui primum Ordinis  
hujus fundatorem constituunt FRIEDERICUM, Sueviæ  
Ducem, utpote qui eò ipsò tempore floruit, & Expedi-  
tioni Sacræ contra Saracenos in terra Sancta susceptæ  
interfuit. Non enim HENRICUS VI. esse Societatis hu-  
jus fundator potest, quippe qui, ut Thesi subsequ. dice-  
mus, hunc Ordinem tantùm confirmavit, non autem de  
novo instituit. Nec Ordinis hujus institutio accepta fe-  
renda est Germano illi opulento, cujus *Polyd. Vergili-*  
*us* meminit. Potuit quidem Germanus ille Xenodochi-  
um quoddam unà cum templo B. Mariæ sacro Hieroso-  
lymis, ad recipiendos Teutonicæ Nationis ægrotos,  
& è Germania peregre adventantes, extruxisse, sed ex-  
inde Autor illius Ordinis, qui præcipitante Seculò XII.  
florere cœpit, dici non statim meruit. Etenim, si Centu-  
riatoribus Magdeburgensibus fidem habemus, Rex  
Hierosolymorum *Guido*, Ordini Teutonico à *Friederico*  
novi-

noviter fundato domum illam hospitalem unà cum redditibus suis concessit & addixit. Ex quo patet, Xenodochium illud primum hujus Ordinis incrementum, non autem principium vel fundamentum fuisse. Placet itaque nobilissimorum horum Equitum Natales referre ad Autorem *Friedericum*, Sueviæ Ducem & Ann. 1190. quo tempore Summæ Imperii Germanici præerat *Henricus VI.* Friederici frater; Constantinopolitani, *Isaacius Angelus*; Hierosolymitani, *Guido*, qui tamen, eò quòd regnum Hierosolymitanum in hoc ipso desiit, inter Reges à compluribus non numeratur; Romanæ Ecclesiæ, Pontifex Max. *Clemens III.* & non longè post *Cælestinus III.* Hierosolymitanæ, Patriarcha *Arnoldus.*

III.

Confirma-  
rio.

Ne verò quidquam huic Ordini deesset, missi statim sunt ad Imperatorem HENRICUM VI. in Germaniam legati, confirmationem ejus petituri, qui piis, ut ipse arbitrabatur, eorum votis non lubens tantum annuit; sed simul ad Romanæ sedis Pontificem suos Hierosolymitanis adjungit Legatos, pro novi instituti approbatione intercessuros. Pontifex *Cælestinus III.* qui paulò antè ad eum dignitatis gradum erat evectus, ut tantorum Principum gratiam aucuparetur, eorum petitioni detulit, Ordinemque confirmavit. Litteræ confirmationis datæ sunt Romæ d. 22. Feb. Ann. 1191. Pontificatûs ejus annò primò. Conf. Abrahami Bucholceri *Isagog. Chronolog. ad ann. Chr. 1189.*

IV.

Sedes  
Ptolomais.

Cumque Christiani, IV. Id. Julii Ann. 1191. Ptolomaida sive Aconam *Saladino* extorsissent, nobilissimus



mus hic Ordo PTOLOMAIDE prius sub Magistro  
*Henrico Walpot* in Xenodochio coaluit, constitutis 31.  
fratribus religiosis. Postea cum Seculo præterfluxo  
Saraceni ex justo Dei judicio, ob rapinas, cædes, supra  
adulteria, aliaque scelera quàm plurima, & quidem im-  
punè à Christianis in terra sancta commissa, denuo  
prævalerent in Palæstina, receptâ Ann. Chr. 1291. à Sa-  
racenis Ptolomaide, VENETIIS sedem fixit, Magi-  
stros Provinciales, quâ conducebat, inde emittens.  
Deinde cum redditibus annuis fundisq; amplis donatus  
brevivires & incrementa sumfisse videretur, evocatus  
à *Conrado*, Duce Maloviæ, quem Borusii, Christianæ  
religionis tunc hostes infensissimi, nimium affligebant,  
conditò ad Vistulam fluvium castellò, quod MARIÆ-  
BURGUM vocavit, sedem suam sub *Gothofredo*, Co-  
mite Hohenlöensi, Supremo Ordinis Magistro, ann Chr.  
1309. illuc transtulit. Postquam verò Serenissimus  
Princeps, *Albertus*, Marchio Brandenburgicus p.m. re-  
lictò Ordine, annò 1525. à *Sigismundo*, Rege Poloniæ,  
Dux Borusii esset creatus, Residencia Ordinis Teuto-  
nici MERGETHEIMIUM est translata, ubi ad hodie-  
num diem usque perstitit. Vid. Polyd. Vergil. loc cit.  
*Dresleri Isagog. Histor. Millenar. V. cap. 4. p. 612.* Li-  
mnæus *loc. cit.* Micrælii *Syntag. Histor. Polit. loc. cit.*  
Ejusdem *Syntagm. Histor. Eccles. loc. cit.*

Venetiæ.

Mariæbur-  
gum in Bo-  
rosia.

Mergethei-  
mium in  
Franconia.

V.

Solent celeberrimi hujus Ordinis Equites gerere  
crucem nigram (unde & *Cruciferi*, die *Creuzherren*/  
nuncupantur) pallio albo inhærentem, quem caracte-  
rem, ut ab aliis Sacræ militiæ Ordinibus dignosceren-  
tur,

Vestitus.

B

tur,

tur, *Celestinus* III. Pontif. Rom. ipsis concessit. Expressè  
namque Cæsar *Baronius Tom. XII. Annal. Eccles. ad*  
*An. 1198. n. 2. p. 914. Fuere ejusdem Celestini digna alia*  
*Sanctorum monimenta, quæ certis ejus Pontificatûs an-*  
*nis non sunt affixa & inter alia confirmatio religiose mi-*  
*litiæ Ordinis Teutonicorum: rogatus enim ab Henrico*  
*Imperatore donavit militiam Ordinis Teutonicorum*  
*veste albâ & cruce nigrâ.*

VI.

Officiûm.

Præcipuum Marianorum sive Teutonicorum Equi-  
tum officium fuit, ægrotis consulere, & armis Christia-  
nos adversus sacratissimæ crucis hostes tutari, atque  
nullo non tempore pro religione Christiana vitam in di-  
scrimen adducere ac fortiter pugnare. Vid. *Paulus Æmi-*  
*lius lib. 5. de gestis Francor. & Polyd. Verg. loc. cit.* At-  
que ut *Reverendissimus & Illustrissimus Princeps ac*  
*Dominus, Dominus JOHANNES CASPARUS, nunc*  
*temporis Supremus Ordinis Teutonici Magister, Dy-*  
*nasta in Freudenthal & Eulenberg / universo Christiano-*  
*rum Orbi probatum daret, quàm parùm, vel omninò*  
*nihil Ipse cum Equitibus suis ab Antecessorum suorum*  
*virtute pariter & laudabili instituto descivisset, in Aula*  
*Cæsarea hoc ipso & superiori annò unum vel alterum*  
*castellum in Hungaria adversus Turcas defendendum*  
*sollicitavit, de quo negotio in Aula prædicta hodienum*  
*tractatur.*

VII.

Vota.

Vivunt Equites Teutonici sub Regula S. Augustini,  
atq; singulis diebus certis vicibus Orationem Domini-  
cam, Symbolum Apostolicum, & Angelicam salutatio-  
nem

nem repetere pro canonicis horis solent. De cetero professionem, Regulas, & Instituta omnia Templariorum, tam in bello, quàm pace exactissimè observant. Sunt autem vota, quibus recipiendi in hunc Ordinem obstringi necesse habent, sequentia: (1.) Solenni voto vovent *Obedientiam*, quam Magistro suo præstare sive in bello, sive in pace tenentur. (2.) *Castitatem*. Utq; castitatis Specimina sint illustriora, conjugii usu prohibentur. (3.) *Voluntariam egestatem*. (4.) *Defensionem pauperum*, & (5.) *Promptitudinem*, si necessitas flagitet, *pugnandi contra Turcam*. De ultimo ita Recessus Imperii Comitiorum Spirensium Anno 1542. Gleicher Weiß soll es auch gehalten werden mit allen Commendarien und Häusern des Teutschen und der Johanser/und andern Ritterlichen Orden / welche vor andern zu Wiederstand des Türcken zu helffen/vermög ihrer Ordens-Stiftung schuldig seyn. Conf. Sebast. Franckens Chronicon p. 222. nec non Chron. Borussiacum, allegatum à Centuriat. Magdeb. *loc. cit.*

### VIII.

Non autem cuilibet Splendidissimus hic Ordo patet. Receptio.  
Etenim non recipiuntur promiscuè cujuscunq; Nationis & Religionis homines: nec ignobiles: nec animo impotentes: nec qui corpore mutili sunt & manco; sed Pontificiæ Religionis addicti, qui mente pariter & corpore sanò, Illustri vel Nobili Germanorum prosapia orti, quatuor Majorum suorum insignia habent. Ita namq; Baronius *loc. cit.* *Censiti autem sub eo ordine (Teutonico) non nisi Nobiles, iidemq; Germani, qui magnitudine animi digna ipsorum generositate edidère*

facinora, quæ aliorum sunt scriptorum memoria perpetua commendata. Er ist allein von und auf die Teutschen geschiffet/und dem Röm. Reich zugehörig/üt patet ex Re-  
cessu Imperii Comitiorum August. ann. 1500. Atq;  
hos ipsos Natales, nec non animi pariter & corporis bona unusquisque Recipiendus probare tenetur duobus  
testibus, viris fide dignis, iisque avitâ Teutonici sanguinis nobilitate conspicuis. Patet hoc ipsum ex receptio-  
ne *Wolfgangi Erhardi à Muckenthal*/in cujus Natalium fidem duo Nobiles Teutonici, consanguinei ipsius, sequentes litteras testimoniales, quarum copia haud ita pridem è veteri quodam MS. ad manus nostras pervenit, dare debuerunt, ita sonantes: Ich N. von N. und  
Ich N. von N. bekenne öffentlich/und thue kund allermänniglich/als der Hochwürdigste/Durchleuchtigste und Hochgebohrne Fürst und Herr/Herr Maximilian / Erzherzog zu Oesterreich / Herzog zu Burgund/ıc. Erwehlter Administrator des Hochmeisterthums in Preussen / Meister Teutsch Ordens in Teutschen und Welschen Landen/ Graue zu Habspurg und Tirol / ıc. Unser Gnädigster Herr/durch Gott und unser lieben Frauen/seiner auserwehlten Mutter/der Hochgelobten Jungfrauen Mariæ/ auch um unser fleissigen Bitt willen/Wolf Erhard von Muckenthal/unsern Freundlichen lieben Bettern/zu dem Lößlichen und Ritterlichen teutschen Orden anzunehmen und zu empfangen bewilligt und zugelassen hat/doch also / daß derselb Wolf Erhard von Muckenthal seiner Vernunft und Glieder mächtig und geschickt/und am Leibe ganz ungebrechlich/auch zum wenigsten von seinen vier Ahnen Edels und Rittermässigen Geschlechts geböhren sey/ sich auch zum höchsten  
sten

sien verpflichtet/die Tag seines Lebens in solchen Ritterlichen  
Orden/Bermög desselben Statuten, Ordnung und Satz-  
zungen/gehorsamlich zu bleiben und zu vollenden / und al-  
les das zu thun und zu leisten/ so einer gehorsamen erbe-  
nen Ordens-Person gebühret und schuldig ist / mit Ver-  
zeihung und Begebung des 55 ten Jahrs zu Augspurg  
Reichs Abschiedes / so viel den Puncten der Religion hal-  
ben darinnen begriffen/aufgericht betrifft / und allen an-  
dern / so künftiglich derhalben erdacht oder gemacht wer-  
den/oder sich sonst zutragen und begeben möchten (wel-  
che den gedachtes Orden Statuten zu wieder) gänzlich  
und gar nichts ausgenommen; also ist uns obgenandten  
N. von N. und N. von N. kund und wissend / daß der ge-  
meld von Muckenthal seiner Vernunft und Glieder mäch-  
tig und geschickt/und am Leibe ganz ungebrechlich / und  
zum wenigsten von seinen vier Ahnen Edels und Ritter-  
mässigen Geschlechts ist/20. 20. Geben am Dienstag Puri-  
ficationis Mariæ, den 3. Febr. als man zehlet nach Christi  
unfers Herrn Geburth 1587. Quòd si itaq; Natales suos  
Ordinis hujus Candidatus hoc modo probaverit, tum  
solenni juramentò Votis, Regulis, & Statutis obstringi-  
tur, ad quod adjicit Commendator Ordinis: Wir sagen  
Euch Wasser und Brod zu/und des genug / darzu ein ge-  
ringe Kleidung euer Lebenslang! wirds besser/so habt Ihr's  
auch. Mehr sind wir Euch nicht schuldig. Sacerdos au-  
tem noviter recepto Equiti pallium cum caractere tra-  
dit, hisce verbis: Diß Kleid und Creuz geben wir Euch/  
und so Ihr thut/was Ihr gelobt habt / versprechen wir  
Euch das ewige Leben. Mox Commendator gladiò va-  
ginâ è latere Equitis nudatò clypeum ipsius duabus vi-

cibus pulsat, inquit: *Hie besser Ritter denn Knecht.*  
Tertiò ictu tergum ipsius petit, hæc adjiciens verba:  
*Den Vertrag und keinen mehr.* Reliquas Solennitates  
in Equitum Teutonicorum inauguratione adhiberi so-  
litas vid. apud Sebastianum *Franken/in Chron.p. 223.*

IX,

Caput Su-  
preмум.

Subsunt hodie Teutonici Equites *Supremo* Ordinis sui *Magistro.* Ab initio quidem Ordinis hujus Superiores vocabantur *Magistri*, quorum primus *Henricus à Walpot* octuagenarius ann. 1191. est creatus. Ast *Hermannus à Salza*, natione Misnicus, vel, ut alii volunt, Thuringus, tertius à *Walpoto*, cum jam multi *Magistri* Provinciales ab ejus nutu penderent, equitumq; bis millia numerarentur, ann. 1212. primus *Supremi Magistri* titulum assumpsit. Tandem etiam *Conradus à Wallenrode*, qui *Albingensium* sive *Waldensium* doctrinæ favisse dicitur, ann. 1391. titulum *Principis* adjecit, quo hodiernum non modo *Supremus* *Magister* utitur, sed etiam ab aliis ita insigniri debet. Annumeratur namque *Statibus Imperii Romano-Germanici*, & in publicis imperii *Comitiis* locum inter *Ecclesiasticos Principes* obtinet, sicut id patet è *Ludovici Bavari Imperatoris Constitutione*, ann. 1338. *Frankfurti* promulgata, apud *Goldast. in Constitut. Imperial. Tom. II. p. 86.* Habuerunt principiò *Supremi* *Equitum Teutonicorum* *Magistri* sibi adjunctos *Magistros Provinciales*, ita dictos, quòd in certas *Provincias* unà cum militibus essent ablegati. Cùm autem *Gothofredus*, Comes *Hohenloënsis*, ann. 1297. *Supremus* *Magister*

gister esset electus, Magistrorum Provincialium loco  
*Magnum Commendatorem & Marefcallum* constituit.  
Vid. Micræl. *Syntagm. Hist. Polit. loc. cit.* In rebus  
Ecclesiasticis neminem agnoscunt superiorem nisi Ro-  
manum Pontificem. Qua de causa in ditionibus &  
Bonis Ordini Subjectis nulli Episcopo ulla visitatio vel  
alia jura Episcopalia conceduntur. Quòd si verò Teu-  
tonici Ordinis Sacerdotes etiam extra Ordinis pomœ-  
ria curam animarum exercent, tum subjecti quidem  
sunt Ordinario, quem vocant, illius loci, certis tamen  
conditionibus, & modò certò, prout scilicet cum Ordi-  
nario & Episcopo fuit transactum, quæ transactio ob-  
servari pro norma debet. Siquidem ubivis locorum  
cum Episcopis certæ hac de re constitutæ sunt trans-  
actiones.

X.

Fuit autem celeberrimus hic Equitum Teutonico-  
rum Ordo à Temporibus *Friederici II.* Imperatoris, ad  
*Friedericum IV.* usq; , eximiâ potentiâ & autoritate,  
Borussia omni ac Livonia non tantùm in suam potesta-  
tem redactâ, verùm etiam defensâ & plurimis modis  
excultâ. Etenim, teste Davide Chytræo *in Chrono-*  
*logia p. 3 20.* circa annum Chr. 1217. à *Conrado*, Du-  
ce Masovia, quem Borussi, Christianæ fidei tunc tem-  
poris hostes, nimium affligebant, in Borussiam evoca-  
ti Equites Teutonici valde felicia, & parvò tempore  
magna fecerunt incrementa. Siquidem cum ann. 1220.  
Culmensi provinciâ Borussos ejecissent, terram illam &  
Leuboviam occupârunt. Interjectò deinde temporis  
spatiò adversus Borussos assiduis impressionibus Ma-  
sovia

Bona.

loviam vexantes revocati, terram Culmensem in possessionem obtinuerunt, hac tamen conditione, ut Boruffis debellatis Masovio & Polonis Culmoniam restituerent, & Boruffiam ex æquo cum illis dividerent. Sed *Friederici II.* Imperatoris beneficiô postea non solum terræ Culmensis à *Conrado* Masovio traditæ, sed totius Boruffiæ, omniumq; terrarum, in quas ejectis Barbaris religionem Christianam propagaturi essent, possessio, proprietas & dominium ipsis ac eorum Successoribus decretum est & confirmatum, ceu tabulæ Cæsaris superstites loquuntur. Sic brevi temporis spatiô Boruffia omnis usq; ad mare Balthicum & Lithuanix fines, veteribus incolis partim extinctis, partim in miseram servitutem pariter & Christiana sacra vî adactis, Imperii Germanici provinciis accessit; & quidem non immeritò, quòd & auctoritate Imperii, & Bonis Germaniæ publicis universus Ordo niteretur. Inde Vistulam versus occasum transgressi Teutonici, Dantiscum & Pomerellam vicinam, Regibus Poloniæ tum subiectam occupârunt, & Orientem versus, Principum Lithuanix diffidiis invitati, & Vilnam usq; progressi, Samogitiam ex pacto acceperunt, eâ felicitate usi, ut tandem strenuus hic Ordo quatuor Episcopatibus, Culmensi, Ermlandensi, Samlandensi & Pomesano; 55. civitatibus; 48. arcibus & 19000. pagis definiretur, annuosque redditus centies octies millibus Rhenanorum æstimaret. *Chytr. Chron. Sax. Lib. I. p. 14.* *Micræl. Syntagm. Hist. Polit. loc. cit.* Obtinuerunt etiam primis statim temporibus non tantùm Neo-Marchiam, ut & nonnulla prædia & possessiones in Bohemia; sed etiam in

maior

am in



am in Sicilia per singularem concessionem nonnulla bona, tam feudalia, quàm allodialia acquisiverunt, quemadmodum id colligere est è Goldasti *Constitut. Imperial. Tom. II. p. 79.* Postquam autem recedente fortunâ & mutato priori rerum statu, inclutus Ordo prædictis Bonis omnibus excidit, (prout Thes. XII. audiemus) nihil hodie ipsi mansit reliquum, præter bona nonnulla passim per Germaniam dispersa, ampla quidem satis, sed quæ cum priori fortuna comparari nullò modo queunt. Sunt autem illa Bona vel *Bona Cameralia* (*Cammer-Güter*) vel *Bailia*, quæ communiter *Bale* *leyen* nuncupantur. Inter *Bailias* sunt Franconica, Hassiaca, Westphalica, Saxonica, Thuringica, pro qua *Reverendissimus atque Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus MAURITIUS, Episcopatus Numburgensis postulatus Administrator, Dux Saxonie, &c. &c.* solvere quotannis, vî transactionis, certam pecuniæ summam Ordini solet, Lotharingica item, Alsatica, Palæo-Bisena, Confluentiensis, Etschensis, Austriaca, &c. Et hæc Bailiæ omnes, Comendas, Præfecturas, & Præturas complures, sub suo continent imperio. Ad *Cameralia Bona* pertinent Urbs & Præfectura Mergetheimium, Arx & Præfectura Neohusium, Prætura Huttenheim/Præfectura Helchsheim/Stofsberg cum Arce & Præfectura, Præfectura Necrosulmensis, Kirchhusensis & Weinhemensis; Domus, ut vocant, Hornecensis, Cron Weissenburgensis, Heidelbergensis, Spirensis, Francofurtensis, Moguntina; Præfectura Kirnbacensis, Stupfericensis, Weingartensis, &c. Præter citatas *Bailias & Cameralia Bona* laudatissimus Ordo duas  
C etiam

etiam Dynastias in Silesia, Freudenthal & Eulenberg cum subjacentibus, hodiernum possidet, quæ Supremo Ordinis Magisterio adjudicatae, ad Aulæ Magisterialis sustentationem impenduntur.

XI.

Incrementa.

Cœperat in ipsis Seculi XIII. primordiis Autore, *Alberto* Bremensi, tertio Livonensium Episcopo, *Ensisiferorum* sive *Gladiferorum* (Germ. die Schwerd Träger) à binis ensibus sanguineis, quos vesti candidæ habebant intertextos, ita dictorum Ordo in Livonia, quem *Innocentius III.* Pont. Rom. ann. 1204. confirmaverat. His *Albertus* fundator tertiam Provinciarum, quas armis essent capturi, partem addixerat. Hi quamvis sub primo Ordinis sui Magistro *Vinnone*, ejusque successore *Volquiniô*, arcem *Torpæ*, Russis antea subjectam, nec non *Kokenhusiam* & alia loca complura occupassent, atq; à Principibus Germaniæ adjuti res strenuè adversus Lithuanos, Samogitas, Semigallos & Russos egissent, nihilo-tamen-minus, quia Ordo Teutonicus in Borussia circa hæc ipsa tempora admodum invaluisset, placuit Livonibus, ut Ensisiferi in Ordinis Teutonici societatem assumerentur, id quod etiam ann. 1238. factum; & ita accessione militum & opum Ensisiferorum, quas in Livonia & Curlandia possidebant, magnum Ordini Teutonico accessit incrementum. *Dresser. loc. cit. p. 613. Micræl. Syntagm. Histor. Polit. Lib. III. Sect. VI. Quest. 6. p. 838. Jac. Aug. Thuan. Histor. Lib. XXI. p. 433.* Cumq; Templariorum Ordo ob nefanda crimina, quæ tamen à multis haud sublestæ fidei Autoribus vel negantur, vel ta-  
centur,

centur, vel in dubium vocantur, instinctu *Philippi IV.* Galliae Regis, à *Clemente V.* Pontif. Rom. in Concilio Viennæ in Galliis habito, annò 1313. extingueretur, multa eorum prædia & possessiones Ordini Teutonico sunt adjudicata. Vid. Henr. Pantaleon *Lib. 3. Hist. Johannit. Bzovii Annal. Eccles. Tom. XIV. ad Ann. 1317.* Hotting. *Hist. Eccles. P. III. p. 750.*

XII.

Tam opulenti Equites Teutonici, more ingenii hu-  
mani (ut Justinus, Trogi Pompeji Epitomator VI, 5, 1.  
de Lacedæmoniis pronunciat) quò plura habent, eò  
ampliora cupientes, non contenti accessione Ensifero-  
rum & ex parte etiam Templariorum opum vires sibi  
duplicatas, totius Lithuaniae imperium affectare cœ-  
perunt. Hinc cum *Jagelloni*, Polonicis, Lithuanicis  
& Tartaricis copiis plùs solito potentiori hosti, qui ann.  
1386. è Lithuaniae Principe Rex Poloniae erat constitu-  
tus, atque post Christiana sacra suscepta *Uladislaus II.*  
appellatus, nova subinde bella moverent, tandem ann.  
1410. binis præliis prope Mariæburgum ad Grunewal-  
dum sive Danneburgum ita ab eo superati sunt & cæsi,  
ut 600. fratres, & multa militum millia cum ipso supre-  
mo Magistro *Ulrico à Jungingen*, nec non Commen-  
datore atque Marefcallo; & denuò, semestri vix elapsò,  
10000. desiderarent, nec exiguâ Boruffiae parte exci-  
derent, quam postremam cladem tamen *Cassparis Schii-  
zii* Chronicon Borufforum, quod 1592. Servestæ in  
lingua Germanica prodiit, in dubium vocat. Nec mi-  
nor eos excepit postea calamitas. Etenim cùm omnia  
ad arbitrium suum in Boruffia vocarent, nec non feralia

Decremen-  
ta.

inter se agereñt diffidia, tandem consensu Magistri Ordinis *Pauli à Rusdorf*, qui Commendatorum suorum infidias ac violentiam metuens in arcem Dantiscanam profugerat, nec non approbatione nonnullorum Commendatorum, *Mariæ Werderæ ad Vistulam* ann. 1440. Confœderatio nobilitatis, civitatum & ceterorum *Borussiæ* Statuum conclula est & promulgata, ut scilicet de injuriis Magistri Ordinis & Commendatorum queri apud Concilium Provinciæ vel confœderatos subditos liceret, atque ut in eorum potestate esset, controversias vel jure, vel amicâ compositione finire. Ast ortâ inter *Cosmum*, Episcopum *Warmienlem*, & *Johannem à Baisen* Equitem, de lacu quodam dissensione, nonnulli Commendatores & Fratres, coram confœderatorum judicio negotia sua tractari indignum judicantes, apud Imperatorem *Friedericum IV.* ut confœderatio illa tolleretur, institerunt, qui partibus utrinque breviter auditis statim pronunciavit: *Nobilitatem & Civitates nullam habuisse justam fœderis illius faciendi causam, idq; inhonestè factum, ideoq; nullius momenti, penitusq; abolendum: multam insuper sexcentorum millium aureorum Magistro ab illis pendendam, & amissâ libertate & privilegiis sine recusatione obediendum, contumaces verò pœnis jure decretis plectendos esse.* Qua sententiâ omni expectatione graviori acceptâ, Nobilitas ac Civitates pleræque statim communicatis consiliis juramentum fidelitatis Supremo Ordinis Magistro *Ludovico ab Erlishausen* ann. 1454. renunciârunt, atq; ab Imperio Germanico secedentes sese & universam *Borussiam* in *Casimiri III.* Regis *Poloniæ* clientelam & de-

& defensionem contulerunt, arces Thorunii, Dantisci & aliorum oppidorum vî aut dolô occupatas partim suis præfidiis committentes, partim demolientes. Quae de caussa à Rege & Proceribus Polonicis in societatem Regni recepti sunt. Tandem cum Rex Poloniæ *Casimirus* cladem Conizianam, qua 30. millia suorum desideravit, accepisset, annô 1466. hæc transactio facta est, ut *Equites Teutonici totam Borussiam superiorem, quæ continet Elbingam, Pomerelliam, Culmensem dittonem, Neringam, & nunc Regia Borussia dicitur, Regi cederent, omni in his locis juri suo renunciantes; inferiorem verò cum metropoli Regiomonto velut Polonia Regis feudum possiderent, & in perpetua fide & clientela Polonia Regum manerent, neq; cujusquam in terris, nisi Polonia Regis Majestatem & Jurisdictionem agnoscerent, adversus quoscunq; opem ferrent, & communes cum illo amicos & hostes haberent. Idq; juramentô solenni, quicumq; deinceps Magister Ordinis creatus esset, intra sextum mensem ipse ad Regem veniens profiteretur.* Ita tota Borussia in Polonicæ Reip. corpus tum concessit. Jure verò an injuriâ Borussi & Equites Teutonici ab Imperio secesserint, prolixè disputat Cl. Conringius *Tractat. de Finib. Imp. Germ. Cap. XXI X. p. 825.* Viguit hæc transactio, donec *Friedericus*, Saxonix Dux, Alberti cognomento Animosi, Frisix Gubernatoris filius, Magister Ordinis constitueretur, qui *Maximilianô I.* Imperatore, & aliis Germanix Principibus auxilia ipsi ad excutiendum Polonorum jugum, & recuperandam libertatem amissam ipsi promittentibus, juramentum fidelitatis Regi denegavit. Sed parùm

proficiens, ne imparatus belli molem sustinere cogere-  
tur, relicta Borussia, ad fratrem *Georgium*, Ducem Sa-  
xoniam in Misniam ann. 1511. se recepit. Fecit idem Se-  
renissimus Princeps *Albertus*, Marchio Brandenbur-  
gicus, Summus Ordinis Magister post *Friedericum* ele-  
ctus; sed cum, frustra sollicitatis Cæsaris & Ordinum  
Imperii auxiliis, *Sigismundo*, Polonorum Regi resistere  
amplius diffideret, & irritò conatu Dantiscum obsidio-  
ne tentasset, depositò habitu sacro, ann. 1525. creatus  
Borussiae Dux, Regno Poloniae se submitit. Et quam-  
vis Ordinis Fratres alium Ordinis Magistrum, *Walthe-  
rum à Groenberg* eligerent, inque omnibus Imperii Co-  
mitiis graviter *Albertum* accusarent, Camera etiam  
Spirensis in proposito permanentem ann. 1532. pro-  
scriberet, omnia tamen, Rege Poloniae in conventu Ra-  
tisbonensi causam ejus agente, fuere frustra. Chytr.  
*Chron. Saxon. Lib. I. pag. 14. 15. Lib. XI. p. 326. ff.  
Lib. XIII. p. 396. Dressler. Isagog. Histor. Millenar. VI.  
cap. 2. p. 738. seq. Thuan. Hist. Lib. I. p. 18. & V. p.  
98. Micraël. Syntagm. Hist. Polit. Lib. III. Sect. VI.  
Quest. 5. p. 832. Inter omnes autem legi præprimis  
meretur Sleidanus de Statu Relig. & Reip. Lib. V. VII.  
& VIII. Eadem quoque fata habuit Ordo Teuto-  
nicus in Livonia. Cum enim Alberto Brandenburgico  
ad bellum Polonicum se instruenti, magni opus essent  
sumtus, *Waltherus à Plettenberg*, Magister Provincia-  
lis in Livonia, exoluta Alberto certâ pecuniæ summâ  
Equites Livonenses Borussiae Magistro tenus hac subje-  
ctos, ann. 1513. subtraxit. Non diu tamen Livonia  
penes Ordinis sui Equites mansit, Etenim cum *Got-  
hardus**

*hardus Ketlerus*, Ordinis in Livonia Magister constitutus,  
ad declinandum Russorum impetum, à quibus Anteces-  
sor ipsius *Wilhelmus à Fürstenberg* per proditionem  
militum suorum captus in vinculis ad mortem usque  
detinebatur, ann. 1561. Regi Poloniae se subjecisset,  
Dux Curlandiae & Semigalliae declaratus est, cujus ab-  
nepos rebus in Curlandia hodiernum praest. Livonia  
autem Regi Poloniae tunc cessit. Chytr. Chron. Sax.  
Lib. I. p. 21. & Lib. XX. p. 592. ff. Thuan. Histor. Lib.  
XXI. p. 434. Amiserant etiam in Sicilia jam dum circa  
Seculi XIII. primordia, per judicium & antiquam Re-  
gni Siciliae constitutionem, quã nihil poterat eis sine  
consensu Principis de allodialibus inter vivos concedi,  
vel in ultima voluntate legari, quin post annum, men-  
sem, septimanam, & diem aliis secularibus vendere &  
concedere teneantur, omnia bona & feudalia & allo-  
dialia, quæ hæcenus nonnullorum concessione tenuer-  
ant. Vid. Goldast. Constit. Imperial. Tom. II. p. 79.  
Similia fata experti sunt iidem Teutonici in Bohemia,  
Siquidem Bohemorum Rex *Wenceslaus* annò 1393.  
publicatis eorum Bonis omnes Ordinis hujus Equites  
Bohemiã ejecit, teste Urspergenfi apud Wolffium loc.  
cit. Neo-Marchiam autem *Joachimo I.* Electori Bran-  
denburgico p. m. ejusque Posteris necessitate pressi  
vendiderunt. Vid. Nenschels Chur- und Fürstl. Bran-  
denb. Stammbaum p. 38. Et hæc de incluto Teuto-  
nicorum sive Marianorum Equitum Ordine pro insti-  
tuti nostri ratione dicta sufficiant.

D. S. L.

Nobi-



I.

*Nobilissimo JUVENI*

**JOHANNI JUSTO à Carlowitz /**

Auditori, Commensali, atq; Inquilino meo perdilecto, ad  
Academiam abiturienti,

*de laudabili Studiorum suorum Specimine*

gratulor

**PRÆSES.**

**O**Rdo Teutonicus quî creverit enu-  
merâsti.

Enumerat laudes sic bona fama Tuas.



II.

ΣΧΕΔΙΑΣΜΑ.

Ad

*Nobil. JUVENEM,*

**JOHANNEM Jobst à Carlowitz /**

De

**INCLUTO TEUTONICORUM EQUITUM ORDINE**

publica è cathedra


*respondentem,*

Auditorem & Commensalem suum dilectissimum.

**U**Rit maturè quod vult urtica manere,  
Et calycem profert quæ cupit esse rosa.

*A tene-*





*A teneris tractare ardet Vulcania tela,  
 Qui petet è bello larga brabea sibi.  
 Sape rudis pulchrò sordescit pulvere vector,  
 Qui palmas olim premia victor amat.  
 Qualis eques, IUVENUM FLOS per-dilecte, futurus  
 Sis, specimen specitur nunc etiam hocce tuum.  
 Te VtonlCVs nostrâ hâc defenditur ordo cathedrâ,  
 Pro tot depugnas solus & unus eques.  
 Gratulor ac voveo: sis pluribus inclutus olim  
 Palmis, quàm numeros iste quot ordo tenet!*

f.

M. JO. CHRISTOPHORUS LAURUS, Eloq.  
 & Poës. Prof. Publ.




III.

**D**as ist ein grosser Schmuck / der einen Edlen zieret /  
 Wann Er den Degen weiß zu führen mit der Hand /  
 Wann Er erfahren ist zu ringen in dem Sand /  
 Wann Er tanzt ein Ballet / wie sich nach Kunst gebühret /  
 Wann Er das muntre Ross in freyer Bahn recht führet /  
 Wann Er im Picken Spiel / im Feld ist wohl bekand.  
 Noch Edler ist er doch / wann sich das Musen-Band  
 Mit Ihm verknüpfet hat / wann er mit dem stolziret /  
 Was unvergänglich ist. Nach beeden Schmuck / mein Freund /  
 Steht dir dein reger Sinn. Es lernet Kiel und Degen

D

Zu



Zu führen deine Faust. Du bist schon auf den Wegen/  
 Wo man zur Ehre kommt/so faulen Lastern feind.  
 Es zeiget's dieses Blat. Worzu dir Glück ich bringe/  
 Und wütsche/das aus dir ein grosser Mann entsprienge!

Seinem werthen Freund und Tischgenossen schreibe  
 dieses zu Ehren

Christophorus Albinus Seyfried.  
 von Chemnitz aus Meissen.



IV.

Madrigal.

**D**er Name profecent  
 Was aus dir/ Freund/ die Götter wollen machen/  
 Du wirfst den Staub der Niedrigkeit verlachen/  
 Und fliegen hin / wo man den Himmel freyt.  
 Die dapfre Faust bezeugt  
 Das du des grossen Carls Lehr - Schüler bist gewesen /  
 So bist du auch in Büchern wohl belesen/  
 Dein kluger Wizz eröfnet heut  
 In diesem Wette: Streit/  
 Wie Kunst und Adel sich so wol zusammen reimen.

Also beglückwütschete seinen treuen Freund und  
 Tischgenossen

Leonhard Ludwig Voigt/  
 von Dresden.

V. De

**D**er Schiffer redt vom Meer / und dessen kühnen Wellen /  
 Der Bauer von dem Feld : von tollen Kriegeres-Fällen  
 Der blutige Soldat : Der Arzt von seiner Cur :  
 Der Jäger von dem Wald / von Wild- und Wildes-Spur  
 Ein jeder redet das zu was er ist erföhren.  
 Du bist / Liebwehrter Freund / vom Adel-Stand gebohren /  
 Drüm ist es deine Lust und deine Liebs-Begier /  
 Den teutschen Ritter-Stand zu bringen aufs Papier :  
 Ich wünsche / daß diß Werck gereiche dir zu Ehren /  
 Und daß dein Tugend-Ruhm sich dadurch mög vermehren :  
 Den Rittern stehet an zu reden von dem Stand /  
 Durch den geheldet wird so manche tapfre Hand.

Also beehrte seinen lieben Freund und  
 Tischgenossen

H. H. B. L.



QX T. 1796

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

2 3 2 2

ADP

MC





VIRO  
 lissimo ac Strenuissimo  
 RGIO CAROLO  
 RLOWITZ,  
 chönfels/ Zaussa/ Arnsdorff/  
 ral : Diœceseon Wolcken- & Lau-  
 Lichtewaldensis Præfecto summo;  
 enationibus Ducis Saxoniae Magi-  
 ut & Inspectori Lignorum aquis  
 rum in Sudetis Mi-  
 niae &c.

no Benignissimoq;  
 RI SUO  
 filialiter ætatemq; suspiciendo,  
 r exosculando, deve-  
 erando,

m Primitias cum Precum  
 oblatione Jure me-  
 itoq;

Dat, Dicat, Consecrat  
 nnes Jobstius à Carlovvitz.

I. N. J.

